

causam cum ipsa persona ubique incedit.—*Tres rationes.*—At vero quando dispensatio seu privilegium est posterioris rationis seu mere personale, et habet legitimam causam in ipsa persona, et cum ipsa persona semper incedit, videtur mihi valde probabile, posse sic privilegiatum uti dispensatione sua extra territorium concedentis, ut, verbi gratia, comedere lacticinia in diebus prohibitis, si de hoc sit privilegium propter specialem necessitatem personalem subditi, et similia. Ratio est, primo, quia ita videtur usus interpretari hujusmodi dispensationem: nam religiosus habens talem dispensationem a suo Prælato, vel Provinciali, illa utitur ubicumque peregrinetur, non solum quia est exemptus, et forte caret superiore in alio loco, sed etiamsi ad aliam domum vel provinciam perveniat, ubi posset a Prælato proprio sui ordinis, cui pro tunc subest, dispensari. Secundo, quia illud jus commune non pendet ab hoc vel illo loco, et per dispensationem simpliciter sublatum est respectu talis personæ; ergo non redit obligatio ejus propter loci mutationem; ergo neque ibi est necessaria dispensatio nova; ergo licet uti priori, vel potius effectu ejus, qui fuit auferre ab hac persona obligationem talis præcepti. Unde, considerando hunc effectum, æquiparatur hæc dispensatio cum aliis in exemplum adductis in prima probatione conclusionis, de quibus nullum videtur esse posse dubium. Tertio, est optima congruentia moralis, quia proprius Prælatas talis personæ habet, vel habere præsumitur notitiam illius, et causarum particularium quæ in ea sunt ad eximendum illam a tali obligatione. E contrario vero arduum et molestum esset tali personæ, ubicumque peregrinatur, Prælatum loci et sibi alienum convenire, eique rationem suam vel necessitatem aperire, vel (quod durius, et difficilior esset) persuadere et probare ut dispensationem pro illo loco ratam haberet; ergo verisimile est talem dispensationem proprio Prælato ita esse commissam, ut ubique valeat. Unde tandem confirmatur, quia Prælatas particularis non dispensat in hoc jure, nisi ex voluntate et concessione Pontificis expressa vel tacita, cum jus sit ipsius Pontificis; sed si Pontifex dedisset privilegium, ubique valeret: ergo et datum a proprio Prælato, qui subrogatus est, ut faciat id quod Pontifex faceret, si adesset. Et hanc conclusionem satis videtur supponere Navar. supra. Et eandem confirmat primum exemplum de dispensatione legati ad plura

beneficia, nam illa immediate derogat præcepto, et ita personam habilitat.

16. *Satisfit fundamentis oppositæ sententiæ.*—*Objectio.*—*Responsio.*—Neque contra hoc obstant rationes in contrarium factæ: nam inductio quæ affertur, pertinet ad priorem partem distinctionis positæ, et illam confirmat. Ad rationem autem negatur simpliciter consequentia, et ad primam probationem negatur assumptum, et æquiparatio, quæ ibi fit inter jus commune Ecclesiæ, et privatum alterius territorii, quia illud est generale, et superioris, qui pro aliquibus casibus et personis potuit committere dispensationem ejus alicui inferiori Prælato sibi subordinato; hoc vero est speciale et ab æquali Prælato latum, a quo nulla jurisdictio manavit vel communicata est alteri sibi æquali, et ita non est similis ratio. Dices videri absurdum quod possit quis uti privilegio sui Prælati ad non jejunandum in alieno territorio in die præcepto ab Ecclesia, et non in speciali die præcepto a Prælato loci. Respondeo, primo, non esse inconveniens, quia licet præceptum Ecclesiæ gravius sit, est aliquo modo commissum dispensationi uniuscujusque Prælati pro persona sibi subdita, non tamen ita est illi commissum præceptum inferius, vel æquale. Addo, secundo, probabile esse, quando dispensatio data est ex legitima causa, et pro omnibus jejuniis, excusare etiam a simili præcepto loci, quia non est verisimile velle Prælatum loci obligare personam habentem legitimam causam excusationis jam probatam per propriam dispensationem sui Prælati, quin potius virtute censetur illam dispensationem acceptare. Et juxta hoc declaranda vel limitanda erit prior assertio, in qua est longe diversa ratio, quia privilegium contra jus proprium concedentis potest valere sine causa, vel sine legitima excusatione præcepti, propter alios respectus, et ita ibi nulla est ratio præsumendi consensum vel acceptationem Prælati. In præsentem autem est maxima, saltem quamdiu Prælatas loci aliud non indicat.

17. Addo enim ulterius, præsertim propter secundam probationem supra positam, posse Prælatum territorii prohibere ne aliquis advena ibi utatur talibus dispensationibus sine sua notitia et ratihabitione, quando usus eorum est publicus, et in actibus et moribus communibus toti populo, quia hoc est valde consentaneum rationi, et, ad debitum ordinem et ad tollenda inconvenientia quæ sequi possent, esse potest necessarium. Tunc ergo non poterit quis uti tali dispensatione, sine assensu

CAPUT XXVII.

QUANDO PRIVILEGIUM QUOAD SUOS EFFECTUS RESTRINGENDUM SIT UT ODIOSUM, VEL UT FAVORABILE AMPLIANDUM.

1. *Quando privilegium restringendum, quando ampliandum.*—Hæc quæstio, propter modum interpretandi privilegia declarandum, proponitur: nam licet hæc materia sæpe in superioribus tacta sit, propria indiget consideratione, et in hunc locum optime cadit; tum quia parat viam ad explicandam mutationem seu derogationem privilegiorum, de qua nobis dicendum superest; tum etiam quia necessaria est ad tractatum de effectibus privilegiorum consummandum. Nam sicut de indulgentia dici solet, ita de privilegio dicere possumus, tantum valere quantum sonat, id est, quantum verba ejus significant vel comprehendunt, et ideo ex verborum interpretatione pendet activitas, vel (ut sic dicam) adæquatam objectum, et sphaera activitatis privilegii. Hæc autem interpretatio, et regula quæ circa illam tradi possunt, pendent ex illa juris regula: *Odia restringi, favores convenit ampliari.* Et ideo ante omnia explicare oportet quando, ad effectum restrictionis vel ampliationis, privilegium sit judicandum favorabile, vel odiosum. Est autem hoc difficile ad explicandum; tum quia jura ipsa videntur varie loqui; nam in cap. *Olim*, de Verb. sign., absolute dicitur privilegium esse late interpretandum, ubi id notant Gloss. et doctores; at vero in cap. *Sane*, et cap. *Porro*, de Privilegiis, dicitur privilegia esse restringenda, ubi etiam id communiter notatur: tum etiam quia hinc privilegium concedit favorem, et ex ea parte videtur extendendum, et præsertim quia frequentius est beneficium principis, quod amplissime accipimus, ut dicitur in d. cap. *Olim*, cum similibus, quæ ibi Gloss. refert: illinc vero privilegium est jus singulare, quod propter commune restringendum est, juxta l. *Quod vero*, ff. de Legibus.

2. *Privilegium quod est purum beneficium, vel quod est alicui juri contrarium.*—In hac igitur dubitatione, communis doctrina est distinguendum esse inter privilegium quod est purum beneficium, seu favor, nulli præjudicium afferens, nec juri communi derogans, et rigorosius privilegium, quod derogat vel juri communi, vel alicujus tertii. Inter quæ, ut supra diximus, est differentia: nam prius est

Prælati loci, ipse autem tenebitur dispensationem acceptare, nisi habeat legitimam causam præsumendi vel surreptionem vel causæ mutationem. Et per hoc satisfit tertiæ probationi, quia, interveniente legitima dispensatione, cessant rationes omnes quæ per se pertinere possent ad talem obligationem ratione uniformitatis, vel consuetudinis. Ratio vero scandali accidentaria est, et illa semper habet locum in proprio territorio, ideoque semper præsupponitur hoc debere fieri sine scandalo.

18. *Applicatio dictæ doctrinæ ad summum Pontificem, saltem aliquo modo.*—Ultimo ex dictis constare facile potest quomodo hæc resolutio applicanda sit ad summum Pontificem, quatenus in eo aliquo modo locum habere potest. Absolute enim ille non habet definitam diocesim ut Pontifex est, sed totum universum complectitur: non enim loquimur de illo ut specialiter est Episcopus Romanus habens propriam diocesim, sed ut est universalis pastor. Unde privilegium ab eo, ut talis est, concessum, ubique valet, et ubique licitum est uti illo, quia semper talis usus est intra territorium concedentis. Imo videri potest aliquando esse licitum illo uti extra territorium humanum, vel absolvendo jam defunctum a censura, vel utendo indulgentiis concessis pro defunctis; sed revera nunquam usus talis privilegii est extra territorium Papæ: nam usus ille in terra fit, et hominibus viatoribus conceditur, ut illo, dum vivunt in terra, utantur, licet effectus aliquis illius usus communicetur defunctis, et acceptetur in cælis, quia totum hoc cadit sub territorium et potestatem Pontifici concessam. Et ita verum absolute est neminem posse uti privilegio Pontificis extra territorium ejus, et posse illo uti in quocumque territorio alterius Prælati, vel principis. Solum oportet advertere quid contineatur sub concessione et intentione Pontificis: nam licet hoc totum possit, non semper facit quantum potest. Et ideo sæpe non licet uti privilegio ejus, contra specialia statuta, vel consuetudinem episcopatus, non quia non possit Pontifex hoc concedere, sed quia non concedit, nisi exprimat per clausulam specialiter derogantem, quod secus est in jure communi, ut in superioribus explicatum est.

privilegium simpliciter favorabile, posterius vero, licet sit favorabile respectu privilegiarii, respectu communitatis vel alicujus tertii odiosum est, et prout magis vel minus ad alteram partem declinat, simpliciter odiosum vel favorabile denominatur.

3. *Privilegium, purum beneficium, favorabile est.* — Primo ergo, dicendum est privilegium quod est purum beneficium esse favorabile in ordine ad interpretationem, id est, ample esse interpretandum, quantum recta ratio et prudentia permiserit. Ita docent omnes auctores statim citandi. Probatur autem primo ex d. cap. *Olim*, de Verb. signif., quod de hoc privilegio loquitur, imo de beneficio principis, et constituit regulam juris, beneficium principis ample esse interpretandum, l. *Beneficium*, ff. de Constit. princip. Hoc autem privilegium a principe concessum propriissimum beneficium ejus est, ut per se constat. Tandem declaratur ratione, quia in tali privilegio duplex considerari potest respectus: unus ad concedentem, alius ad eum cui conceditur; neque in illo potest alius respectus considerari, cum ad alios impertinenter se habeat, cum neminem lædere supponatur; sed sub utroque illo respectu ample interpretandum est; ergo. Probatur minor quoad priorem partem, quia ad statum et amplitudinem principis spectat liberaliter agere, servata prudentia et recta ratione; ergo intra illos limites (sic enim conclusionem proposuimus) amplianda est ejus concessio respectu illius. Ne autem videamur hoc limitare ad supremos vel magnos principes, in quibus principium illud maxime locum habet, addi potest alia congruentia. Quia ad concedentem spectat sufficienter explicare mentem suam; ergo in dubio contra ipsum concedentem verba merito interpretamur; ergo respectu illius late sunt accipienda.

4. *Probatur amplius assertio.* — Altera item pars minoris probatur ex regula juris, quod favores sunt ampliandi, l. *Hoc modo*, ff. de Condit. et demonst., et l. *Cum quidam*, ff. de Liber. et posthum., ubi Glossa plura refert. Sunt autem favores maxime ampliandi respectu eorum quibus conceduntur: nam eorum sunt favores; ergo quando ex illis non resultat præjudicium alterius, tota ratio interpretationis favorabilis est, et ideo ampla esse debet. Nec contra hoc consideratur præjudicium ipsius concedentis; tum quia tale præjudicium fere est intrinsicum humanæ largitioni, et ideo voluntarium esse censetur ipsi

concedenti; tum etiam quia, ut dixi, contra concedentem etiam esse debet ampla interpretatio. Dices: omne privilegium, eo ipso quod inducit singularitatem, odiosum reputari potest: nam præ se fert quamdam acceptionem personarum; ergo sub hoc respectu restringendum est, etiamsi non sit aliter contra jus commune, vel tertii. Respondeo hinc ad summum concludi interpretationem esse cum ratione et prudentia faciendam, ita ut, in tota illa amplitudine, sit concessio facta prudenter et ex causa legitima, ac subinde sine vera acceptione personarum. Nunquam enim est præsumendum voluisse concedentem aliquid contra rectam rationem concedere: esset autem contra rationem favorabilis concessio sine competenti causa facta, ut supra ostendi. Hac autem moderatione servata, neminem potest singularitas privilegii rationaliter offendere: propter offensionem autem irrationabilem non est omittenda justa privilegii extensio et ampliatio.

5. *Privilegium derogans juri communi est restringendum.* — Dico secundo: privilegium derogans juri communi regulariter est reputandum odiosum in ordine ad interpretationem, et ita restringendum est potius quam extendendum. Ita docet Innoc. in cap. *Quod dilecto*, de Consanguin. et affinit., ubi etiam Panorm. dicit esse certam et communem doctrinam; idem in cap. *Olim*, et in cap. *Abbate*, de Verbor. signific., et in cap. *Quia circa*, de Privil.; Glossæ et alii scribentes super hæc jura; et Bart. in l. *Si finita*, § *Ex hoc edicto*, ff. de Damn. infect., n. 4; Sylvest., verb. *Privilegium*, q. 3; Navar., in Summa, cap. 12, n. 79; et Sanc., referens plures, l. 8 de Matrim., disp. 1, n. 1 et 4. Et probatur primo ex dictis cap. *Sane*, et cap. *Porro*, et ex regula juris, *Odia esse restringenda*; nam derogatio juris communis ex eo capite odiosa est, per se loquendo, et ideo vitanda quoad fieri possit, vel, si omnino vitari non potuerit ne privilegium inutile fiat, erit restringenda, ut omnia jura docent, cap. *Cum dilectus*, de Consuet., ubi id notat Glossa. Tradit in simili Bart., in l. *Cæsar*, ff. de Public. et vect., n. 21, in Repet., et in l. ult., ff. de Constit. princ., per totum; et alios refert Tirac. in præfat. ad retract., n. 62. Tandem hoc privilegium includit dispensationem juris communis, ut ex supra dictis constat; dispensatio autem est stricti juris, et restringenda; ergo. Et confirmatur, quia bonum commune præferendum est singulari; ergo et jus commune par-

ticulari; sed privilegium est jus particulare; ergo ex suo genere illi præferendum est jus commune, ideoque ubi oportuerit unum restringere ut aliud minus lædatur, privilegium restringendum est respectu juris communis.

6. *Circa dictam doctrinam aliqua notanda.* — Circa hanc vero assertionem aliqua observanda sunt: Primo, intelligendam esse de restrictione quæ admittat aliquam utilitatem et effectum privilegii: nam privilegium semper sustinendum est, ut sit utile, ut supra ostensum est; intra latitudinem vero effectuum habet locum restrictio. Quæ ulterius intelligenda est præcise in ordine ad derogationem juris communis, id est, solum quatenus necessaria esse potest, ne derogatio communis juris ampliatur. Nam si cum æquali derogatione juris communis possit privilegium ampliari in favorem privilegiarii, ampliandum est, quia licet ratio odii et favoris sint conjunctæ in eodem privilegio respectu diversorum, ut supra dictum est, nihilominus suas proprias rationes retinent; et ubi non opponuntur, sed potest favor ampliari sine ampliacione odii, ita faciendum est, quia tunc nihil est quod repugnet. Ut si detur alicui privilegium comedendi carnes tempore quadragesimæ, censetur concessum ad lacticinia comedenda, quia per hoc non plus derogatur juri communi; et si quid est simile; raro enim accidere videtur in his privilegiis ut possint in favorem ampliari sine aliqua derogatione juris etiam ampliori.

7. Præterea intelligenda est regula, cæteris paribus; aliquando enim tam necessarius est pius esse potest favor privilegii, ut ampliandus sit, etiam augendo derogationem juris communis. Ita sumitur ex communi doctrina in variis casibus et materiis, ut attingit Tiracquel., tract. de Pia causa, n. 160 et sequentibus. Exemplum sit, quia privilegium concessum filiis legitimis contra commune jus restringitur ad vere ac naturaliter legitimos, juxta l. ult., c. de his qui veniam ætat. impet., et doctrinam Bart. in l. *Omnes populi*, ff. de Justit. et jur., n. 60 et 62; et nihilominus si privilegium sit in gratiam religionis et piæ causæ, extendetur ad legitimos fidei, per privilegium legitimationis, ut docet idem Bartol. in l. *Si constanter*, ff. Solut. matrim., n. 44. Similiter privilegium exemptionis clericorum a temporali jurisdictione, vel religiosorum ab ordinaria, etiamsi deroget juri communi, ampliatur in favorem religionis. Et idem est in similibus, ex illo principio, quod etiam jureconsultus agnovit: *Summa ratio est quæ pro*

religione facit, in l. *Sunt personæ*, ff. de Relig. et sumpt. funer. Eademque ratio erit quoties privilegium, ex una parte derogans juri communi, ex alia censetur esse necessarium communi bono reipublicæ: nam tunc potest hæc ratio illi præponderare, et ea ratione privilegium ampliari contra commune jus. Et sic solent ampliari privilegia militum, et similia. Ratio autem clara est, quia cum hæc privilegia habeant mixtionem odii et favoris respectu diversorum, necesse est, ut in effectu favoris vel odii, illud vineat quod secundum rectam prudentiam majoris ponderis fuerit. Item quia prudenter conjectamus hanc fuisse tunc mentem principis concedentis privilegium, in qua conjectura fere tota hæc interpretatio privilegiorum nititur.

8. *Privilegium motu proprio concessum ampliatur.* — Unde addi etiam solet communiter alia limitatio ad assertionem positam, ut non procedat quando privilegium est concessum motu proprio; nam tunc etiamsi sit contra jus commune, ampliatur, et in ordine ad interpretationem censetur simpliciter favorabile, juxta cap. *Si motu proprio*, de Præbend., in 6, et tradunt juristæ; Abb. cum Joan. Andr., in cap. *Cum in cunctis*, § *Cum vero*, de Elect., n. 8; Felin., in cap. *Ex parte*, de Rescript., n. 13, limit. 6; Alexand. de Nevo, in cap. *Qui circa*, de Consanguin. et affinit., n. 10; Rebuff., in Concordat., tit. *Forma mandati*, verb. *Motu proprio*; Anton. Gabr., l. 10, concl. 2, num. 61 et seq.; ubi plures refert. Ratio vero est, quia hæc extensio videtur pertinere ad favorem et honorem ipsius principis; nam quod motu proprio concedit, censetur proprium beneficium ejus, et ex certa scientia fieri, ut supra dictum est, et in dubio extenditur potius quam restringatur. Excipiuntur etiam privilegia quæ in jure communi continentur; nam illa jam non censentur jus privatum, sed commune, et ideo per regulas juris communis judicanda sunt.

9. *Privilegium inferens præjudicium tertie personæ.* — Dico tertio: privilegium inferens præjudicium tertie personæ contra jus quod jam habet acquisitum, sub ea ratione odiosum est, ita ut restringi debeat quoad fieri possit, quia non est mens principis auferre alteri jus suum, nisi id expresse declaret, ut sumitur ex leg. *Nec avus*, cod. de Emanc. liber. Quod adeo verum est ut, licet privilegium motu proprio sit concessum, extendendum non sit ad privandum alterum jure suo jam acquisito, ut supra dictum est. Et ita assertio hæc com-

munis est omnium auctorum quos retuli, et sumitur ex cap. *Licet in corrigendis*, de Offic. ord., cap. *Ex tuarum*, de Auctor. et usu pall., l. 2, § 1, verb. *Merito*, ff. Ne quid in loco publ., et tradit specialiter Panormit. in cap. *Certificari*, de Sepult., n. 9; et omnia dicta in præcedenti assertione a fortiori hanc probant. Quia jus uniuscujusque illæsum servare, jure communi vel etiam naturali postulat, et licet princeps possit interdum illud auferre, non tamen sine magna causa, et satis clara. Hinc vero eandem recipit hæc conclusio limitationem quam præcedens, scilicet, ut intelligatur, nisi ex gravitate causæ et materiæ necessitate aliud præsumatur de principis intentione; tanta enim potest esse necessitas, ut extensio faciendâ sit, non obstante alterius præjudicio: nam in hoc eadem ratio, quæ in præcedenti assertionis limitatione posita est, hic procedit. De quo in cap. sequent. aliquid addemus.

CAPUT XXVIII.

QUÆ SINT IN RESTRINGENDIS VEL EXTENDENDIS PRIVILEGIIS OBSERVANDA.

1. *Ampliatio vel restrictio privilegii qualis.* — Ex dictis in præcedenti capite, solum in genere habemus quando et quibus considerationibus privilegium ampliandum vel restringendum sit. Superest igitur explicandum quanta esse possit aut debeat ampliatio, vel restrictio, et quomodo, juxta principia posita, privilegiis applicanda sit.

2. *Prima regula.* — Circa priorem partem, duæ regulæ pro restrictione assignari possunt. Prima est, restrictio privilegii nunquam debet esse tanta, ut reddat illud inutile, quantumvis grave et odiosum appareat, nisi eo perveniat ut sit etiam injustum. Regula est communis ex c. *In his*, de Privil., et cap. 1 de Rescript. Quibus locis communiter doctores, præsertim Deci. et Panormit.; Sylvest., verb. *Privilegium*, quæst. 3; Navar., in Sum., cap. 12, n. 79; et in Apolog. de Reddit., quæst. 3, m. 6, n. 3. Et ratio est, quia voluntas principis nunquam debet frustrari, neque inefficax reddi, et ideo etiam de omni lege cautum est ut per interpretationem non reddatur inutilis, l. *Non dubium*, c. de Legib.; quia semper id est contra intentionem principis, quia non creditur otiose ferre legem. Unde qui, legis intentione omissa, ita adhæret verbis ut reddat inutilem legem, illam destruit, et prævarica-

tor legis dicitur in l. *Qui contra*, c. de Legib. Idem est ergo in privilegio; nam est eadem ratio; et ideo hæc regula locum habet, etiamsi oporteat privilegium ad aliquid extendere, quod exorbitans vel odiosum apparet, ut colligitur ex l. *Si filiusfamilias*, 4, in fine, ff. ad Macedonian., ubi privilegium illud filiifamilias, quod alias reputatur odiosum, extenditur ne inutile fiat, de quo videri potest Tiraq. post leges connubiales, Gloss. 5, n. 115. Et eadem ratione si necesse sit, ultra rigorosam proprietatem verba extendere, ne quis defraudetur privilegio, fieri debet secundum jus. Estque optimum exemplum in cap. *Quanto*, de Privil. Hinc denique sumptum est generale principium, privilegium debere aliquid operari ultra commune jus, quod sine privilegio non liceret, quia alias esset inutile, quod quomodo intelligendum sit, supra cap. 20 diximus.

3. *Secunda regula.* — Secunda regula sit: verba privilegii secundum proprietatem tenenda et observanda sunt, et extra illam trahenda non sunt ad restringendum privilegium, nisi vel ratio justitiæ cogat, vel aliunde talis voluntas concedentis rationabiliter præsumatur. Regula hæc, suppositis ac recte explicatis duabus limitationibus illi adjunctis, satis per se clara est, quia, in legibus intelligendis et observandis, proprietas verborum est in universum tenenda per se loquendo, ut sæpe dictum est; ergo idem servandum in privilegiis; tum quia est eadem ratio, tum etiam quia privilegium est quædam lex. Confirmatur primo, quia favores etiam non sunt restringendi, et præsertim cum violentia verborum, et absque necessitate; sed privilegium continet favorem ex sua directa intentione, ejusque verbis vis infertur, quando a sua proprietate extrahuntur; et nulla est necessitas, quando in favore non est injustitia, nec præsumptio justa talis voluntatis principis; ergo talis restrictio privilegii admittenda non est. Denique confirmatur, quia voluntas concedentis, si non sit injusta, plene et (ut sic dicam) adæquate implenda est; sed hæc voluntas indicatur per ejus verba juxta propriam eorum significationem; ergo ita est servandum privilegium integre ac plene; ergo non licet illud restringere per verborum improprietatem voluntariam. Alias nihil esset firmum in privilegiis, et sub nomine restrictionis eludi et corrumpi facile possent.

4. *Duæ limitationes in conclusione positæ necessariae.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Duæ autem limitationes positæ necessariae sunt,

quia duo sunt ad effectum privilegii necessaria in concedente, scilicet, potestas et voluntas, et quacumque illarum deficiente, non sequetur effectus. Prima ergo limitatio respicit potestatem: nam id tantum possumus, quod jure possumus; ergo princeps non censetur posse concedere quod sine injustitia seu injuria alterius fieri non potest; ergo nec præsumitur id concedere, aut velle. Probatur hæc ultima consequentia; tum quia nunquam præsumitur voluntas principis esse injusta, nisi evidenter constet; tum etiam quia licet daretur talis voluntas, esset inefficax et impotens ad validum privilegium concedendum, quia repugnat per privilegium licere actionem injustam. Dices, interdum additur in privilegiis clausula: *Salva justitia*, ut patet ex cap. *Certificari*, de Sepult.; ergo ubi non additur, privilegium absolute operabitur. Respondetur negando consequentiam; nam, ut recte ibi advertit Panorm., licet illa clausula non addatur expresse, semper subintelligitur, quia naturalis ratio illam postulat. Additur ergo aliquando (quod in aliis rescriptorum clausulis frequenter observatur) ad majorem perspicuitatem, et ne excedatur fortasse in usu privilegii, et ita per illam monetur privilegiarius, vel judex privilegii, ut servet justitiam, tum naturalem, tum etiam per leges canonicas vel civiles respective constitutam.

5. *Privilegium injustum quoad usum quale et quem effectum habet.* — Sed quæret aliquis de qua justitia seu injustitia intelligendum hoc sit, id est, an de injustitia privilegii quoad usum ejus, vel etiam quoad solam concessionem; est enim considerandum duobus modis intelligi posse privilegium esse injustum, uno modo quoad usum, et consequenter simul quoad concessionem, non enim potest usus privilegii esse injustus, et non esse injusta illius concessio; e contrario vero fieri potest ut privilegium sit injustum tantum quoad concessionem, non vero quoad usum, quia multa male fiunt quæ facta tenent, et sæpe licitum est uti malitia alterius, seu effectu qui ab alio male fit. Quando ergo privilegium est injustum quoad usum, assertio maxime locum habet, imo etiam extenditur ad omnem injustitiam generaliter, id est, ad omnem iniquitatem. Quia quomodocumque reddatur iniquus usus privilegii per interpretationem adæquatam alicui proprietati verborum, vitanda omnino est et restringenda interpretatio, quia non potest privilegium dare licentiam ad fa-

ciendum iniquum. Quod intelligendum est, quando iniquitas maneret, existente privilegio, ut si esset contra legem naturalem, vel aliam indispensabilem per tale privilegium. Nam si iniquitas solum oriatur ex lege positiva dispensabili ab eo qui privilegium concedit, jam illa non manet concessio privilegio, quia legis obligatio per illud aufertur, et ita in usu talis privilegii, per se loquendo, nulla est iniquitas, ideoque tale privilegium non comprehenditur sub hac limitatione, sed ad talem usum extendi poterunt ejus verba, si propria illorum significatio id postulet, et aliud non obstet.

6. *Privilegium injustum quoad concessionem quid operatur.* — *Concessio injusta privilegii non facit semper esse injustum usum ejusdem.* — At vero privilegium injustum tantum quoad concessionem, imprimis vix habet locum in privilegio injusto contra commutativam justitiam, non quia illud non sit maxime iniquum, sed quia vix potest esse validum; si non sit validum, jam erit etiam iniquus usus ejus, ut per se constat. Assumptum declaratur, quia concessio privilegii maxime potest esse injusta contra commutativam justitiam, quia concedit aliquid faciendum cum injuria tertii; sed talis concessio nulla est; nemo enim potest dare uni jus seu facultatem ad injuriam alteri faciendam, est enim implicatio in adjecto; ergo tale privilegium non solum est injustum, sed etiam nullum: imo inde concluditur, tale privilegium intrinsece esse injustum non solum quoad concessionem, sed etiam quoad usum, quia concedit injustum usum. Dixi autem *via* oppositum accidere, quia non repugnat privilegium contra justitiam commutativam concessum validum esse, et consequenter non repugnat concessionem privilegii esse sic injustam, usum autem privilegii non esse injustum, quia utitur quis jure suo per illud acquisito. Ut, verbi gratia, si rex cum conductore suorum tributorum paciscatur sub conditione et obligatione non concedendi alicui privilegium exemptionis a solutione tributorum, et postea tale privilegium concedat, contra justitiam commutativam peccat, quam ex pacto servare tenebatur, nihilominus tamen privilegium validum est, et privilegiarius non peccabit non solvendo tributa; ipse vero rex tenebitur damna conductori resarcire: fortasse tamen tunc etiam a principio non peccabit rex contra justitiam commutativam, si privilegium concedat cum intentione resarciendi damna,